D.

Dissertatio inauguralis medica

de

Staphylomate scleroticae

quam

gratiosi medicorum ordinis

in

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

auctoritate et consensu

pro summis

in medicina, chirurgia arteque obstetricia

h o n o r i b u s

rite obtinendis

publico eruditorum examini submittit

Carolus Georgius Fridericus Mühlenbein,

Brunsvicensis.

Gottingae MDCCCXXXIV.

Brunsvigae, typis exscripsit Joannes Henricus Meyer.

Avunculo optimo

Georgio Augusto Mühlenbein

Med. D. Consiliar.

Duc. Brunsvicens. et Luneburg. archiatro.

assess. colleg. medic. Brunov.

hasce studiorum suorum primitias

gratissima mente

D. D. D.

auctor.

Prooemium.

Quum in eo essem, ut, absoluto Academiae curriculo, dissertationem inauguralem conscriberem, diu haesitassem, quodnam disserendi argumentum mihi ex immensa rerum medicarum copia eligerem, nisi justo adhuc tempore in staphyloma incidissem, quod eo libentius arripui, quo magis hujus morbi disquisitio curatior specimini academico convenire videtur et quo saepius eum ipsum observandi opportunitas mihi contigit. Collegi igitur quaedam ad hoc argumentum spectantia, nova enim et inaudita tiro artis medicae proferre non valet, neque sine magna verecundia subjicio tuo, Lector Benevole! judicio, quod, ut mihi propitium sit, etiam atque etiam rogo.

I.

De staphylomate in genere.

Variorum scriptorum sententias.

Ex verborum interpretatione staphylomatis vis et notio explicari non potest; nam similitudines ex externa specie uvae seu acini deductos in multis aliis a staphylomate discrepantibus oculorum morbis invenimus ut in ceratocele, variis ecphymatibus spongiosis membranae conjunctivae, iridisque prolapsibus, quos quidem multos staphylomatibus adnumerare non nescio.

Neque historice hujus morbi natura, quum non uno modo sit definita, melius explicari posse mihi non videtur.

Inter veteres staphyloma notum fuisse, negari non potest, quamvis incertum sit, quis eorum primus explicavit.

Hippocrates [1]), quo loco fortasse hujus morbi mentionem facit, non staphyloma appellat, sed cum vesica comparat.

---

[1]) Hippocrates de carnibus p. 3.

Neque in eorum scriptis, qui ante Celsum artem exercuerunt, vox *σαφύλωμα* occurrit, ut cui morbo ea primum imposita fuerit, plane adpareat.

Celsus [2]) igitur antiquissimus est auctor, apud quem hujus morbi descriptio occurrit. Sed ipsius illius auctoris verba opponere liceat: »In ipso autem oculo nonnunquam summa attulitur tunica, sive ruptis intus membranis aliquibus, sive laxatis et similis figura acino fit; unde id *σαφύλωμα* Graeci vocant.«

Galenus [3]) variis locis mentionem quidem staphylomatis facit, nusquam tamen describit, ita ut nec claram, nec destinctam staphylomatis notionem ex scriptis ejus eruere possimus.

Aëtius [4]) duo diversos oculorum morbos staphylomati adnumerat. Etenim staphyloma fieri docet, si summa oculi tunica, quae cum cornu comparatur in tumorem, acino similem levetur, sive laxata tantum, sive etiam rupta. — Esse tamen etiam addit qui majorem uveae prociden- tiam staphyloma nominent, quae per corneam ruptam sese ostendit.

Paulus ab Aegina [5]) ita scribit: »Staphy-

---

[2]) Aurel. Cornel. Celsi de medic. libri oct. Lugd. Batavor. 1746. Lib. VII. P. 431 de staphylomate.

[3]) Claud. Galeni method. medend. 1. 2. p. 9. et Galeni Introduct. s. Medicus Cap. 15. de oculorum affectibus.

[4]) Contractae ex veteribus medicina tetrabilos Serm. 3. C. 34.

[5]) Pauli Aeginetae medici opera Basil. 1556. Lib. 6. Cap. 19. Idem L. 3. Cap. 22.

loma quidem est curvatio corneae, relaxatae una cum uvea, aliquando per fluctionem, aliquando autem per exulcerationem.« Alibi vero aliter habet: »Proptosis casus est uveae tunicae, ab erosione sive disruptione corneae proveniens, quae exigua adhuc, ita, ut muscae caput referat, *myocephalon* nuncupatur; aucta vero amplius instar uvae acini, *staphyloma* dicitur. Ubi vero plurimum succrevit, adeoque egreditur, ut palpebras transiliat, *melon;* cum denique occaluerit *clavus* s. ἧλος appellatur.«

Actuarius [6]) cum Aëtio consentit.

Forest [7]) dicit: »Staphyloma esse iridis procidentiam per corneam. Recentiores vero, qui praeterlapso saeculo claruerunt auctores maxime in suis de staphylomate sententiis inter se pugnant, ita ut eorum pars staphyloma retulerint absolute ad genus procidentiae, prolapsae scilicet et prominentis uveae per sauciam, vulneratam, erosam corneam. Hoc autem contendunt prae ceteris *Sebast. Melli* [8]), *Joh. de Gaertner* [9]), *Zach. Platner* [10]) et quamvis hic alibi meminerit,

---

6) Actuarii Zach filii Medicus s. de methodo medendi L. 2. Cap. 7.

7) Pet. Foresti Alemoriani opera omnia Tom. IV. digesta Rothomagi 1653. Tom. II. de morb. ocul. et palpebr. Lib. II. p. 27.

8) Sebast. Melli pract. chirurg. idiom Ital. in Venet a. 1724. Pars 7. pag. 452—55.

9) Chirurg. repurgat. Lugd. Batavor. 1742. pag. 245. §. 1085.

10) Instit. chirurg. ration. Lips. 1745.

corneam quoque malis humoribus emolliri et turgidam effici, talem hanc qualemcunque turgescentiam corneae non accenset staphylomati — et *Guil. Coward.*[11]) alii autem statuunt duos quasi species staphylomatis, quarum altera consistat in sola protuberantia corneae relaxatae et distentae plerumque ab uvea procidente in illius sinum; altera in ruptura corneae et transillam prolapsa uvea: *Jac. Guillemeau*[12]), *William Read*[13]), *Woolhousius*[14]) diserte quidem ad proptosin uveae retulerunt staphyloma ejusque species, sed hic addidit alteram esse speciem staphylomatis, quando cornea sine erosione et ruptura est relaxata et attenuata attollitque se et protuberat in forma acini uveae, habens in peripheria basis suae circulum album; *Antonius Maitre-Jean*[15]) et *St. Yves*[16]) exacte cum his conveniunt, praeterea hic addidit novam speciem, Staphyloma scleroticae.

Hoerle[17]) dicit: „Staphyloma est tumor

---

[11]) Ophthalmiatria Lond. 1706.

[12]) Augen- und Zahnarzt, übersetzt Dresden 1710. pag 203.

[13]) Accunt of all diseases incidient to the eye. Lond. edit. II. C. 13. pag. 123.

[14]) Catalogus 40. Operat. chirurg. in oculis qui habentur in append. Cent. V et VI. Ephemer. Nat. curiosor. C. 3.

[15]) Traité de maladies de l'oeil etc. Paris 1740. p. 364—66.

[16]) Nouveau traité des maladies des yeux par Mr. de Saint-Yves. Amsterd. 1736.

[17]) Diss. inaug. med. chir. de staphylomate fungoso. auct. Godofr. Hoerle. Lauterbacens. Med. Pract. Giessae 1746. pag. 18.

uveae ex tunica cornea laesa acini instar prosiliens, ita quidem, ut oculus laesus a palpebris tegi minus valeat, adeoque sensibus externis perceptibilis."

Günz [18]): „Staphylomate aliquem laborare sciendum est, in cujus oculi altera cornea sive tota, sive ex parte, magis quam altera prominet."

Mauchart [19]) hanc staphylomatis definitionem profert: „Staphyloma est tumor ut plurimum mollis, membranaceus, extus vel in cornea, vel sclerotica protuberans, ortus sive ex harum tunicarum attenuatarum elevatione, protrusione ac distensione, per humorum aqueum solum, vel et impulsam uveam; sive ab earundem tunicarum perforatione plenaria et per hanc facta eruptione tunicae uveae: magnitudine, figura, colore, numero symptomatibus varius, corneam bulbumque ocularium, ipsumque visum vario modo laedens destruensque."

Sauvages [20]): „Staphyloma est cystis aquosa a corneae proptosi et dilatatione, vel ab uveae hernia trans foramen corneae elapsa."

In libro, *Dictionnaire universelle de mede-*

---

18) Just. Godofr. Günz Diss. inaug. de staphylomate. Lips. 1748. pag. 11.

19) Staphyloma vexatum nomen affectusque oculi difficilis ac intricatus. Praes. Burc. David Mauchart respons. Ph. Fr. Benjamin Hoedler. Tubing. 1748. pag. 17.

20) Nosologia methodica auct. Francisco Boissier de Sauvages. Amstelod. 1768. Tom. 1. p. 165.

cine [21]), staphylomatis voce duae morborum formae comprehenduntur. Altera tumor tantum est et prominentia corneae, altera iride effici dicitur, per corneae foramen prolapsa.

Santa Anna [22]) dicit: „He esta enfermidade hum morbo da cornea, o qual eleva esta membrana a human crassice, e opaci dade preter-natural da sua substantia. A causa proxima desta enfermidade he o ajurtamento de humores crassos entre as tunicas da cornea, que atacando a sua superficie interna, e externa, a obriga a inchar, ou sahir fóra; tem tambem o nome de hernia. As causas remotas são habitual inflammacão da cornea, forte contusão, porém mais frequemente apparence depois das bexigas per causa da deposicao do humor dellas.“

Don Domingo Vidal [23]) dicit: El staphiloma as un tumor mas o menos aparente, producido par la salida de la uvea hacia afuera.

Bernstein [24]) staphyloma totale tumorem et elevationem corneae intelligit, quibus illa coni

---

[21]) Dict. univers. de medec. par James traduit de l'anglois par Diderot etc. Paris 1745. p. 31.

[22]) Elementos de cirurgia ocular afferiudos a sua Alteza Real o Senhor D. Joao principe do Brazil par Joaquim José de Santa Anna. Lisbo a. MDCCLXXXIII. Pag. 136.

[23]) Tratado de las Enfermedades de ojos para instruccion de los Alumnos del real colegio de cirurgia de Barcelona. Par el Licenciado Don Domingo Vidal Bibliotecario y maestro de mismo colegio. Barcelona Pag. 452. Cap. VIII.

[24]) Prakt. Handbuch für Wundärzte und Geburtshelfer v. J. G. Bernstein. Leipz. 1800. p. 508.

instar inter palpebras promineat. Circumscriptos scleroticae tumores capituli acus magnitudine scleroticae staphyloma dicit.

Bell [25]) adeo incertus est in staphylomatis diagnosi ut modo cum hypopyo, modo cum hydrophthalmo id confundat.

Guil. le Febure [26]) consentiente *Schmalzio* [27]), solum vel iridis prolapsum per corneae vulnus, vel dum contingat choroideae per scleroticae vulnus, staphyloma verum vocat.

Richter [28]) staphyloma eam valetudinem oculorum esse dicit, in qua cornea pellucida naturae non convenienter tumescat simulque non pellucida, alba et mollis ut lardum fiat. Leucoma et staphyloma ita distinguit Richter, ut in illo cornea sit opaca, in hoc simul densata. Staphyloma scleroticae quidem explicat, sed putat hoc ad vera staphylomata non referendum esse.

Scarpa [29]) dicit: „On appelle staphylome cette affection du globe de l'oeil dans laquelle la cornée perd sa transparence naturelle, se soulève

---

25) Lehrbegriff der Wundarzneikunst. Leip. 1793. Bd. 3. S. 211

26) Theoret. praktische Abhandlung der Augenentzündung ꝛc. aus d. Französischen. Frankf. a. M. 1802. §. 67.

27) Diss. inaug. de staphylomate auct. Henr. Gottl. Schmalz. Jena 1800.

28) Aug. Gottl. Richters Anfangsgründe der Wundarzneikunst. 3 Bde. Göttingen 1804. S. 151.

29) Traité pratique des maladies yeux etc. par Ant. Scarpa traduit de l'Italien sur le manuscript sous les yeux de l'auteur et augmenté de notes par J. B. F. Léveillé à Paris. An X (1802) Chap. XVII. S. 178.

au-dessus de l'oeil et successivement encore pointe hors des paupières en forme de tumeur alongée, blanchâtre ou perlée, tantòt lisse, tantôt bosselée avec perte totale de la vision."

Beer 30) experientissimus saeculi nostri ophthalmiater in libro suo veterum divisioni haud repugnavit, postea vero plura expertus sententiam suam mutavit, quam mutationem ipse variis in tractionibus indicavit; et dicit: „Unter Staphylom verstehe ich jedes ungewöhnliche, nicht zum Zweck des Auges gehörige, und durch Ausdehnung gesetzte, jedoch gnnau begränzte Hervorragen, Hervordrängen der eigenthümlichen Membranen des Augapfels an irgend einer Region desselben."

De staphylomate hae sententiae recentiorum auctorum praecipue sunt laudandae:

Schmalz 31) dicit: Staphyloma est valde manifesta, terminata, firma, duriuscula, modice seu minime liquida eminentia in pupilla, quae non cedit, non pellucida est, et in cornea haerens sensum oculorum omnino et ita eripit, ut morbos sanari non possit.

Clemens 32) hanc habet sententiam: „In

---

30) G. T. Beers Ansicht der staphylomatösen Metamorphose des Auges und der künstlichen Pupillenbildung. nebst einem Anhange. Mit 2 Kupfertafeln. Wien 1808. S. 1ſt.

31) Dr. H. G. Schmalz Versuch einer medicinisch-chirurgischen Diagnostik in Tabellen. 3te Aufl. Dresden 1816. S. 77.

32) Diss. inaug. med. sistens tunicae corneae et humoris aquei monographiam physiologico-pathologicam auctore Aloys Clemens. Gotting. 1816. p. 49.

ophthalmiis violentis saepe cornea intumescit, alba, opaca et mollis redditur."

Wardrop [33]) morbi indices exponit, sed definitionem claram non dat.

Demours [34]) dicit: „Le nom de staphylôme appartient d'une manière plus particulière aux dilatations de la cornée, qui amincie dans une ou plusieurs parties, ou dans la totalité de son étendue, forme une ou plusieurs protuberances, dans les quelles l'humeur aqueuse et l'iris se trouvent poussées par la pression continuelle des muscles du globe."

Beck [35]) definitionem Beeri plane tenet. In libro [36]) suo hoc dicit: „Si cornea substantiae luxurie inter palpebras magis aut minus prorumpentem, subcanum, matricis margaritarum interdum similem, splendidum tumorem efficit ac sic pellucidam affectionem omnino perdidit, hic oculorum morbus Staphyloma vocatur."

Weller [37]) non explicat hunc morbum, sed Beeri hujus morbi descriptionem tradit.

---

33) James Wardrop über die pathologische Anatomie des menschl. Auges. Im Auszuge mitgetheilt von Dr. Krukenberg. In Rusts Magazin f. d. ges. Heilkunde. Berlin 1818. Bd. 3 S. 459.

34) Traité des maladies des yeux, avec planches coloriées par A. P. Demours. Paris 1818. T. 1. pag. 310 et Précis theorique et pratique sur les maladies des yeux par A. P. Demours à Paris 1821. Pag. 283—303.

35) Über das Totalstaphylom der Hornhaut von Dr. C. J. Beck.

36) Handbuch der Augenheilkunde zum Gebrauche bei seinen Vorlesungen von C. J. Beck. Heidelberg 1823. S. 210.

37) Die Krankheiten des menschlichen Auges, ein Handbuch für

Riemann [38]) dicit: „Staphyloma verum, St. corneae clausum opacum, St. corneae perfectum, Conophtalmos, St. corneae, corneae modo affectum voco, quod hujus fabrica vitiata est ipsaque crassior facta et adiaphana tumorem refert circumscriptum neque ipsius fines excedentem."

Glaser [39]) hanc staphylomatis definitionem dat: „Staphyloma est intumescentia, incrassatio corneae praeternaturalis ad intus et extus pergens, solito ab inflammatione oriens, coecitatem procreans, ab initio mollis, sectu lardeo similis, paulisper indurescens ad massam saepe cartilaginosam, coriaceam, quandoque camerae anterioris angustationem et totalem partialemve cum iride concretionem (synechiam anteriorem partialem, totalem,) — efficiens."

Heyder [40]) Beeri definitionem tradit.

Benedikt [41]) dicit corneae staphyloma esse ejusdem certum genus et ea forma quae a Beer staphyloma corneae conicum nominata sit, dum staphyloma corneae totale, sphaericum cum Beer, complicatam corneae rupturam nominat.

---

angehende Ärzte. Herausgegeben von Dr. C. H. Weller. Berlin 1830 S. 421.

[38]) Staphylomat. nosologiae specimen diss. inaug. auct. J. F. Riemann. Berol. 1822. p. 22.

[39]) Dissert. inaug. de staphylomate auct. Joann. Baptist. Glaser. Landishut 1823. pag. 15.

[40]) Dissert. inaug. sistens quaedam de staphylomate auctore Gust. Ludov. Theop. Heyder. Lips. 1823 p. 5.

[41]) Dr. Traugott Wilhelm Gustav Benedikts Handbuch der prakt. Augenheilkunde. 5 Bde. Leip. 1824 Bd. 3. S. 262.

Praeter jam expositas sententias de staphylomate plures exstant, et inter has praecipue a *Spangenberg* [42]) et *Walther* [43]).

Rau [44]) staphyloma his verbis definit: „Mit der Benennung Staphylom bezeichne ich jede widernatürliche, nicht auf mechanischer Ausdehnung, sondern theils auf Substanzwucherung, theils auf vermindertem Cohäsions-Verhältnisse der eigenthümlichen Häute beruhende Hervorragung am Augapfel."

Jüngken [45]) dicit: Corneae staphyloma est quaque, morbo corneae orta anomala hujus tunicae eminentia.

Distributio staphylomatum.

Staphyloma ad hoc usque tempus ita fere dividebatur:

1. secundum sedem, in

   A. Staphyloma corneae,

---

42) Über die Entstehung der Form des Hornhautstaphyloms von Dr. G. A. Spangenberg. I. Archiv f. med. Erf. herausgegeben von Dr. E. Horn. Jahrg. 1800. Bd. 11. Jan. — April. Berlin 1809. S. 45—62.

43) Abhandlungen aus dem Gebiete der pract. Medizin, besonders der Chirurgie und Augenheilkunde von Ph. Fr. Walther. Bd. 1. Landshut 1810.

44) Über die Erkenntniß, Entstehung und Heilung der Staphylome des menschlichen Auges. Eine Probeschrift von W. W. Rau. Heidelberg und Leipzig 1828.

45) Die Lehre von den Augenkrankheiten. Ein Handbuch zum Gebrauch bei Vorlesungen und zum Selbstunterricht für angehende Ärzte von I. C. Jüngken. Berlin 1832. S. 558. §. 5. Anm.

B. Staphyloma scleroticae,

C. Staphyloma corporis ciliaris, processuum ciliarium, (quod ad Staphyloma scleroticae referendum)

D. Staphyloma iridis (quod ad staphyloma corneae referendum).

2. secundum formam, magnitudinem, structuram etc.

A. Staphyloma corneae totale

a. globosum,

b. conicum,

c. pellucidum, quod semper conicum esse videtur.

B. Staphyloma corneae partiale

a. globosum,

b. conicum,

c. pellucidum,

d. opacum s. leucomatosum.

Staphylomatis scleroticae divisionem vide infra.

II.

De staphylomate scleroticae in specie.

Variorum scriptorum de staphyl. scleroticae auctoritates.

Veterum de hoc morbo opiniones merito sunt praetermittendae, nam aut tacuerunt omnino de eo, aut eum negarunt, aut incertis et impeditis obscurisque verbis exposuerunt, praesertim, quum priore tempore et sclerotica et cornea verbo uno eodemque „Cornea" significarentur. Plures in eo vero consentiunt, St. Yvesium primum de hoc oculorum affectu accurate disseruisse.

Atque ille [46]): „Quoique l'on n'entende par staphilome qu'une elevation à toute la Cornée transparente ou seulement à une de ses parties, l'experience fait voir cependant qu'il en arrive également dans la cornée opaque, jusqu'environ une ligne au-delà de son union avec la Cornée transparente."

[46]) l. c. Chap. XI. pag. 171.

Maitre-Jean [47]) claris verbis staphylomatis scleroticae mentionem facit.

Heister [48]) quoque significatione „staphyloma scleroticae“ usus, distinguit id a staphylomate corneae, profert enim: „Neque vero cornea tantum sed sclerotica etiam tunica, justo amplius quandoque, prouti memet observare memini in modum herniae ventralis vel sacci lacrymalis intumescit ac protenditur, quod ipsum equidem vitium *staphylomatis* nomine itidem designari propterea solet, quia non nisi unicum binae illae tunicae corpus constituunt. Quamquam haud alienum fuerit, noxios tumores illos pro partis illius, quam affligunt diversitate sic ab invicem distinguere, ut alterum staphyloma scleroticae, corneae staphyloma alterum nuncupemus.“

Günz [49]) et *Mauchart* [50]) inter staphylomata referunt morbum quo hoc loco tractatur, et in Maucharti dissertatione gravis et accurata historia aegroti cujusdam, hoc morbo affecti, invenitur.

Janin [51]) staphyloma scleroticae evidenter describit pluresque hujus morbi historias profert.

---

[47]) l. c. pag. 400.

[48]) L. Heisteri instit. chirurg. Amstelod. 1739. p. 626.

[49]) Dissertat. in Halleri collect. dissertat. chirurg. Tom. I. 24.

[50]) Eodem loco N. 25. S. 511 sq.

[51]) J. Janin anatomische, physiologische und physikalische Abhandlungen und Beobachtungen über das Auge und dessen Krankheiten. Aus dem Französischen übersetzt. Berlin 1776. p. 350 und 352.

Santa Anna [52]) mentionem staphylomatis scleroticae facit, dicens: „A quarta especie de Staphyloma se diz sclerotico, que he tumor azulado, semel hante a hum pequeno bago de uva, endurecido, elevado em certo lugar par entre a albuginea.“

Platner [53]) aliud agendo tantum illum scleroticae affectum attingit.

Richter [54]) et naturam et symptomata hujus morbi egregie exponit, sed nullo modo ad staphylomata referenda esse ducit.

Schmalzii [55]) verba haec sunt: „Staphyloma scleroticae est protuberantia per regionem scleroticae fungosa, caerulea, inaequalis, acino similis e choroidea per scleroticam varie perforatam variis in locis excrescens. Uti staphyloma iridis et hoc vel *totale* vel *partiale* esse potest.“ Haesitat tamen an ad staphyloma, an ad hernias numeret morbum; pergit enim: „Bene distinguendum est hic morbus ab alio, qui huc usque etiam ad scleroticae staphyloma referri solebat et in elevatione hujus ipsius membranae et attenuatione consistit. Hanc herniam potius scleroticae appellari oportere mox declarabo etc. Paulo inferius vero: „elucet ergo, inquit, hunc

---

52) l. c. p. 137.
53) l. c. pag. 469.
54) Anfangsgründe der Wundarzneikunst. Frankf. 1790. Bd. III. p. 182.
55) Dissert. l. c. p. 23.

morbum cum staphylomatis natura plane convenire, cur autem ill. Richter herniam eum nominari maluerit, non intelligo, cum, qui intus sunt, humores non elabantur."

Scarpa, [56]) quamquam staphyloma scleroticae posticum bis observavit, anticum tamen nunquam observasse videtur.

Bell [57]) non certam accuratamque sententiam de staphylomate scleroticae profert, quod cum hypopyo confundere videtur.

de Graefe [58]) illam valetudinem oculorum ad angiektasiam videtur retulisse; nominat enim „*telangiektasiam scleroticae*" et communicat descriptionem hujus morbi ab ipso saepius observati.

Tissot [59]) denegat staphyloma scleroticae.

Arnemann [60]) eorum sententiam comprobat, qui staphyloma vere existere putant, quod ex his ejus verbis perspicitur — ait enim: „Man will auch in der sclerotica staphylome beobachtet haben. Wiewol es wahrscheinlich ist, daß zuweilen die wassersüchtige Ausdehnung der sclerotica mit dem wahren staphylom verwechselt worden, so findet man

---

[56]) l. c. p. 187—190.

[57]) l. c. pag. 151.

[58]) v. Gräfe über die Angiectasie. Leipz. 1808.

[59]) F. R. C. Tissot Variae auctorum opiniones de staphylomate. diss. inaug. Erlang. 1811.

[60]) System der Chirurgie von J. Arnemann. Göttingen 1801. 2ter Theil. S. 69.

allerdings auch umgränzte kleine Geschwülste, oder schwarzblaue Knoten im Weißen des Auges, welche mit dem staphylom Aehnlichkeit haben. Ich habe sie mehreremale beobachtet und sie waren immer mit einem innern Fehler des Auges verbunden."

Schmalz 61) (K. G.) strictim attingit staphyloma scleroticae.

Beer 62) in compendio suo ophthalmiatrico de staphylomate scleroticae exponit nihil, sed symptomata naturamque ejus accuratissime sub „*Cirsophthalmia*" explicat; sed in opusculo suo „Ansicht der staphylomatösen Metamorphose" simul cum staphylomate corneae commemorat.

Demours 63) non assumit tantum scleroticae sed etiam fusius exponit pluresque ejus morbi enarrationes adjicit.

Wardrop 64) staphyloma scleroticae posticum praecipue depingit.

Weller 65) sub quibusdam conditionibus assumit scleroticae staphyloma et sub „*Cirsophthalmia*" depingit.

Riemann 66) refert staphyloma scleroticae inter staphylomata spuria dicens symptomatibus

---

61) Diagnostik l. c. pag. 77.

62) Lehre von den Augenkrankheiten von H. J. Beer. Wien 1817. pag. 247—250.

63) l. c. Précis pag. 283. 291—304.

64) Essays on the morbid anatomy of the human eye. by James Wardrop. London 1818. Vol. II. Cap. LV. pag. 245.

65) l. c. pag. 446.

66) l. c. pag. 42.

morbi descriptis: „hinc illud malum et staphyloma verum se morbos diversae omnino naturae praebere, indeque illi multo magis cirsophthalmiae nomen, quam staphylomatis convenire liquet."

Beck (K. J.) [67]) refert morbum nostrum ad cirsophthalmiam.

Heyder [68]) describit eum quidem, sed addit: „scleroticae staphyloma neque forma, neque notioni hujus morbi respondet quam ob rem haec vox, si illud accuratius cognitum fuerit, alio nomine poterit commutari."

Quadri [69]) staphylomatis scleroticae mentionem facit.

Molinari [70]) partiale praesertim assumit staphyloma scleroticae — et ait: „Nemo ex ophthalmographis adhuc mentionem fecisse mihi videtur de partiali scleroticae staphylomate, qua scleronyxidis sequela. In genere, quo frequentius occurrit corneae staphyloma, eo rarius staphyloma scleroticae sese manifestat."

Benedict [71]) nomen hujus morbi inepte assumtum ducit, quia tumor non a sclerotica, sed a choroidea et corpore ciliari effingatur, itaque

---

67) Handbuch der Augenheilkunde pag. 208.

68) l. c. pag. 6.

69) Annotazioni pratiche sulle malattie degli occhi, raccolte e ordinate, da Giovambatiste Quadri. In Napoli 1818. Lib. I. §. 8. pag. 178.

70) Molinari de scleronyxidis sequelis earumque cura S. Radius scriptores ophthalmologici minores Tom. III.

71) l. c. p. 268.

mavult significationem „staphyloma choroideae;“ at non sola choroidea morbose afficitur, sed etiam sclerotica, nam haec attenuatur et affligitur destructione.

Rau [72]) hanc profert definitionem: Mit der Benennung staphylom der sclerotica, bezeichne ich jede widernatürliche, nicht durch mechanische Ausdehnung bedingte Hervorragung der sclerotica, deren Grund in einem krankhaft alienirten Vegetationsprozesse dieser Membran selbst gesucht werden muß.“

Hoffmann [73]) a partibus eorum stat, qui staphylomatis scleroticae nomen rejiciunt, dicens: „At scleroticae, corporis ciliaris staphylomata neque forma, neque genuina notione morbi, revera ex justiore censu staphylomatosi vocati naturae respondet; quam ob rem ipsis hisce singulis morbis accuratius cognitis ista nomina cum aliis, ut mihi videtur, aptius eligendis forent commutanda.“

de Ammon [74]) derivat staphylomatis scleroticae originem ex inflammatione orbiculi ciliaris, et alio loco, [75]) quo id secundum analogiam

---

[72]) l. c. pag. 194.

[73]) C. Hoffmann quaedam de staphylomate. diss. inaug. Berol. 1829.

[74]) Über die Entzündung des orbiculus ciliaris im menschl. Auge von Ammon. S. Rust's Magazin f. d. ges. Heilkunde XXX. 2.

[75]) Zur pathologischen Anatomie des menschl. Auges in Bezug auf Ophthalmomalacie. S. v. Gräfe und Walther Journal XIII. 1. p. 122.

„herniam choroideae“ nuncupatum vult, ad scleroticomalaciam refert.

Lechla [76]) exprimit morbi definitionem his verbis: „Staphyloma scleroticae est ille morbus quo tunica sclerotica et choroidea inter se invicem concretae, quoad structuram mutantur et propter auctam, quae in oculo est, humorum copiam in tumorem abeunt circumscriptum, mollem, plerumque non dolentem et vel lividi, vel caerulei coloris;“

Rosenmüller [77]) hanc definitionem habet. „Staphyloma scleroticae est aut partialis aut totalis subcaerulea plerumque prominentia scleroticae, extenuatae et cum choroidea in loco affecto coalitae, praesente nonnunquam praeternaturali humoris cujusdam sanguinisve accumulatione inter illas membranas.“

Fabini [78]) Staphyloma scleroticae sub „Cirsophthalmia“ tractat.

Jüngken dicit: [79]) „Man versteht unter staphyloma scleroticae runde oder ovale, genau begränzte Geschwülste der sclerotica von blauer Farbe, welche an verschiedenen Stellen dieser Membran erscheinen und über denen die conjunctiva sehr ver-

---

[76]) C. R. Lechla Diss. de staphylomate scleroticae. Lips. 1830.

[77]) Diss. inaug. ophthalmiatrica de staphylomate scleroticae. etc. auct. F. Alex. Rosenmüller. Erlang. 1830.

[78]) Doctrina de morbis oculorum. In usum auditorum edidit Joann. Theoph. Fabini. Pesthini 1811. pag. 255. §. 508.

[79]) l. c. pag. 722. §. 3.

dünnt ist. Ihre Größe variirt mannigfaltig, von der eines kleinen Nadelknopfes, bis zu der einer Erbse und selbst einer kleinen Bohne, bisweilen liegen sie einzeln, bisweilen erscheinen deren mehrere zusammen gruppenweis."

De staphylomatis scleroticae divisione.

Singulae staphylomatis scleroticae species, optime hoc modo distingui mihi videntur.

I. Staphyloma scleroticae anticum.
   A. partiale.
      1. racemosum.
      2. annulare.
      3. globosum.
   B. totale.
II. Staphyloma scleroticae posticum.

Symptomata staphylomatum scleroticae.

Quo magis auctores staphylomatis scleroticae definitione inter se discrepant, eo magis in singulis ejus symptomatibus describendis consentiunt.

I. Staphyloma scleroticae anticum.

Quod longe creberrimum ideoque saepissime observatum; invenitur aut partiale aut totale staphyloma scleroticae anticum.

A. Staph. scleroticae anticum partiale.

Invenimus in latere anterioris scleroticae partis exteriore vel inferiore, vel superiore, tunicam albugineam coerulescentem in ejusque superficie nonnullis locis tumores ei insitos, coeruleos vel nigricantes, capituli acus aut lentis saepe magnitudinem referentes, variisque vocabulis nuncupatos; ita *de Walther* [80]) et *Helling* staphylomata corporis ciliaris, ab Benedikt staphylomata choroideae, ab Cel. de Ammon hernia choroideae denominabantur.

1. Staphyloma scleroticae partiale racemosum.

Staphyloma scleroticae (Rau) Staphyloma choroidea (Benedikt) Hernia choroideae (de Ammon).

Racemosum appellatur haec species ob adspectum acini formam, quem singulae varices produnt, et, ut facilius a staphylomate scleroticae globoso et annulari distingui possit.

Uno alterove scleroticae loco plerumque haud procul ab eo, ubi cornea inserta est, unus pluresve coerulei, laevi, dolores vacui tumores, effecti per praeternaturalem scleroticae eminentiam, animadvertuntur, quorum color coeruleus sensim in colorem coerulescentem lividumque ceterae scleroticae transit; magnitudo eorum acus caput

---

[80]) Über die Krankheiten des Ciliarnervensystems im menschlichen Auge. S. Journal d. Chirurg. und Augenheilkunde v. Gräfe u. v. Walther. Bd. 3. Hft. I. S. 37 rc.

aequat,[81] raro nucis avellanae divisae magnitudinem superat. Sclerotica ipsa plus minusve vasibus coeruleis varicosis, nonnunquam rete tenerrimo rubrorum vasculorum pertexta est, praesente semper annulo subcaeruleo circa corneae fines. Conjunctiva plerumque congestione turget et emollitur nonnunquam; cornea est fumosa, leucomatosa, iris raro est protrusa, ejusque color non mutatus, pupilla haud plane atra plerumque tamen magnitudine naturali et luce offenditur, ad hoc usque morbi tempus bulbus oculi tactu mollis est, sed durante procedenteque morbo durior fit, oculus a luce fulgente irritatur; saepius evanescit visus adaucto lacrymarum affluxu; aegroti tum doloribus quoque prementibus aut trahentibus in regione frontali conqueruntur. Singulae eminentiae varicosae proprium ac sane racemosum adspectum produnt.

2. Staphyloma scleroticae annulare.

Prolapsus s. staphyloma choroideae (Rosas),[82] staphyloma corporis ciliaris (de Walther) Staphyloma scleroticae anticum (Rau).

Sclerotica illo loco, cui subjacet corpus ciliare, annularem, anteriore et posteriore margine

---

81) Radius, über einige Augenkrankheiten, welche vorzüglich häufig in England vorkommen. S. Journal v. Gräfe u. Walther. Bd. 7. Hft. 4. S. 578.

82) Rosa's Handbuch d. theoretisch. und praktischen Augenheilkunde. 3 Bde. Wien 1830.

arcte determinatam, coeruleam, angulum oculi interiorem versus tenuissimam, strictam eminentiam ostendit. Cetera scleroticae pars et cornea naturali sunt qualitate. In illo casu quem de Walther [83]) denotavit; fuit eminentia tanta, ut palpebra vasibus varicosis in staphyloma transeuntibus pertexta fuit, iris discolor, immobilis, pupilla cataracta capsulo-lenticularis obscurata.

3. Staphyloma scleroticae globosum s. pellucidum.

Hydrops choroideae (Wardrop) Hernia scleroticae (Rosas).

Hanc speciem caeteri scriptores aut silentio transeunt aut sub hernia scleroticae aut hydrophthalmia attingunt. Ill. Boyer commemorat scleroticae staphyloma esse rotundum, et prominere et eandem quam corneam, speciem praebere ita ut oculus idem duabus corneis instructus videatur.

Staphyloma scleroticae globosum rotunda vel oblonga subcaerulea vel cana-caerulea, laevi, dactyli pressui non cedente sublimitate in sclerotica cognoscitur. Cornea hic plerumque amplificata, in diversos locos distorsa et immobilis et videndi potestas plane est remota.

Conjunctiva scleroticae in vicinitate tumoris vasibus varicosis imbuta, bulbus oculi durus et erectus; saepius etiam aegrotus doloribus oculi turbatur.

---

[83]) Dessen Journal. Bd. 7. Heft 3. S. 39—40.

B. Staphyloma scleroticae totale.

Cirsophthalmos, Cirsophthalmia (Beer, Weller, Beck etc.) varices choroideae (Rosas).

Sclerotica colore livido, propemodum plumbeo, passim et arctissime circa corneam, et praecipue iis locis, quibus musculi oculorum recti inseruntur in coeruleos tumores elevatur, conjunctiva dilatatis et atrum sanguinem vehentibus varicibus pertexta. Saepe totus bulbus magis, quam solet, prominet et ita volumine adauctus videtur, quod saepissime ita se habet, ut palpebrae claudi nequeant, tactu duris, motiones ejus retardatae aut omnino prohibitae sunt; e superficie scleroticae livida eminent singuli tumores varicosi. Cornea est vel obscurata, vel languida splendore amisso, pupilla vel clausa vel dilatata angulosa obnubilata; iris immobilis, videndi facultas plerumque ademta; adsunt tamen scotomata muscarum visio.

II. Staphyloma scleroticae posticum.

Ad hoc usque tempus paucis tantummodo observare hanc speciem contigit, quum post mortem scleroticae parte et proxime ad nervum opticum inveniatur. Qua re factum est, ut illum morbum densae adhuc tenebrae obscurent. Symptomata tum modo in adspectum intuentium venire possunt, si hoc staphyloma scleroticae latus occupans, in tantum creverit magnitudinem, ut,

bulbo hinc illinc moto, dignosci possit in angulis palpebrarum, veluti staphylomata lateralia in casu singulari de Ammon [84]) et Lechla [85]) observato.

Hoc staphyloma primis in lucem protulit Scarpa, [86]) bis enim observavit hunc affectum. In casu altero invenit in funere feminae annor. XXXX bulbum amplificatum et in posteriore ejus parte, ad externum nervi optici latus scleroticam, illo loco valde attenutam pellucidamque et in tumorem teretem nuculae magnitudine propulsam, choroidea quoque eo loco extenuata suoque colore privata; corpus vitreum erat degeneratum et in humorem mutatum; lens crystallina flava, staphylomatis scleroticae recessus retina sua privatus. — In altero casu, in cadavere feminae annor. XXXV fere eadem observavit, corpus vitreum mutatum in humorem, capsulam lentis humore refertum, lentem ipsam flavam, parvamque in staphylomatis loco retinam deficientem, scleroticam et choroideam valde extensam.

Demours [87]) invenit in femina defuncta annor. LX, quaedum vixit, nil nisi visus hebetationem conquesta est, prominentiam in scleroticae parte inferiore laterali externa. Intimus bulbus

---

[84]) Zeitschrift für Ophthalmologie I. 1. S. 57.
[85]) l. c. pag. 29 et Fig. 4.
[86]) l. c. p. 188. Vid. Fig. 3 et 4.
[87]) l. c. Tom. I. pag. 330.

a luce, per scleroticam et choroideam valde extenuatam et pellucidam penetrante, fuit illustratus, retina tenuis et degenerata.

Decursus staphylomatum scleroticae.

Decursum hujus morbi valde chronicum lentissimumque esse, inter omnes ophthalmiatros constat. Affecti oculi per annos integros inferiorem obtinens gradum, nec altius procedens, nil molesti affert aegroto, nisi oculi pressionem, sive tractionem et visus hebetationem sensim procedentem. Sin autem talis oculus re quadam noxia, aut vulnere, aut contusione, aut inflammatione intensiva, aut unguentis aut collyriis acribus offenditur, tum mox ad gradus majores prorapitur, et denique labefit praecipue in illis individuis qui dyscrasia aut arthritica aut syphilitica aut scorbutica correpti sunt. Morbi decursus nisi externis causis perturbatur, sensim adeo ambitus bulbi adaugetur, ut postremo ad rhexin ducatur; si vero per casum evacuatur bulbus, transit in atrophiam. Creberrime alter etiam oculus corripitur hoc morbo.

A e t i o l o g i a.

a. Causa proxima staphylomatis scleroticae.

Natura staphylomatum scleroticae multo obscurior est quam corneae.

St. Yves [88]) qui primus ad hunc morbum mentem attendebat, sententiam de proxima eorum causa non aperit. Attamen ex exemplo quodam ab illo allato, quo staphyloma ictu oculo inflicto ortum erat, apparet, eum naturam a perfracta sclerotica repetivisse, qua ejus conjunctiva humore aqueo extollebatur.

Günz [89]) eandem de natura aperit sententiam.

Plurimi veterum scriptorum, qui staphylomatum scleroticae mentionem faciunt, in brevi tantum descriptione acquiescunt, neque quid de prima ejus causa sentiant, dicunt.

Beerio [90]) natura eorum eadem esse quae staphylomatum corneae ac repetenda videtur a majori, quae pendeat ab impari secretionis et resorptionis ratione, humorum in oculo accumulatione, qua sclerotica crescendo cum choroidea implicita propellatur.

Schmalz [91]) staphyloma scleroticae proxime e densatione tunicae scleroticae prodire atque omni ratione idem esse putat, quod staphyloma

88) l. c. pag. 171.
89) l. c. pag. 23.
90) Ansicht der staphylomat. rc. S. 33.
91) Diagnostik S. 77. C.

corneae. Nunquam vero sclerotica hoc in malo densata sed semper quam maxime attenuata est.

Jacobson [92]) qui ad staphyloma scleroticae posticum a Scarpa primo descriptum bis mentem attendebat, prorsus aliter de natura ejus sentit. Invenit enim singularem in oculo inter choroideam et retinam humorem in exteriore nervi optici latere et staphylomata scleroticae, quo magis hic humor per morbum aliquem contrahatur, eo magis augeri putat.

Molinari [93]) natura ab exsudatis plasticis lymphis repetenda videtur quibus extollatur sclerotica.

Weller, [94]) *Benedikt* [95]) et plurimi recentiorum scriptorum naturam in varicoso choroideae statu inveniunt atque eminentiam scleroticae a mechanico pressu repetunt. Benedikt ait: sclerotica ea tenus tantum morbo affligitur, quatenus staphylomatis loco attenuata ac perforata est, et tum prolapsus per apertam ejus partem, remissa scleroticae conjunctiva obtectus proripere incipit. Proprie quidem hoc staphyloma summus est gradus in serie speciarum quarundam, quae a sclerotica partim attenuata, partim vere perforata profectae semper fere systematis ciliaris varico-

---

92) Supplementa ad ophthalmoiatriam Havniae 1821.

93) l. c.

94) l. c. pag. 446.

95) l. c. pag. 268.

sitati attribuuntur, quae vero non semper videtur adesse.

Rau[96]) ait: proxima staphylomatum scleroticae causa repetenda mihi videtur a varicoso vasorum choroideae statu, quippe qui e priori inflammatione pendeat, dum sclerotica per vitium naturae crescendo cum ea implicita eodem attenuatur tempore

de Graefe essentiam et naturam staphylomatis scleroticae ponit in angiectasiam.

b. Causae remotae.

1. Dispositio congenita,

quae sine impulsu dyscrasiae alicujus aliarumque rerum directo ad nascenda staphylomata confert, vere non videtur esse admittenda.

2. Aetas,

plerumque tempus, quo staphylomata scleroticae nascuntur, in maturiorem virilem cadit aetatem et rarissime initium eorum ante pubertatem animadvertitur.

3. Diversitas sexus,

quoque minimum valet ad nascendum morbum, attamen negari non potest, sexum sequiorem praecipue propter turbatam menstruationem crebrius staphylomatis scleroticae affici, quam masculinum sexus.

---

[96]) l. c. pag. 213.

4. Dispositio acquisita,

plerumque minus vitae ratione, quam morbosis, affectionibus quae vere adsunt, quales sunt:

a. *Arthritis.* b. *Rheumaticae affectiones* praecipue chronicae. c. *Scrophulae* dignae sunt, quae hoc loco spectentur. d. *Hoemorrhoides* suppressae; suppressio et cessio mensium, generaliter plethora abdominalis. e. *Dyscrasia carcinomatosa.* Excellit vero inter omnes. f. *Scorbutus.*

c. Causae occasionales.

1. *Mechanicae:* Vulnera, quorum numero scleronyxis quoque adscribenda, dum choroidea prolapsa cum sclerotica coalescit (Molinari); [97] ictus (St. Yves); [98] corpora aliena in oculum illapsa vel injecta (Mauchart); [99] contusiones, dilacerationes scleroticae, trichiasis (Scarpa).

2. *Chemicae:* abusus acriorum unguentorum et collyriorum, pulverum causticorum; fumus acer et vapores; aliaeque res chemicae afficientes tunicas, inspersae apud opifices, in officinis etc.

3. *Dynamicae:* huc pertinent omnes, inprimis, chronicae inflammationes scleroticae, choroideae, corporis ciliaris, iridis, retinae, inflammationes traumaticae, dyscrasicae et quidem rheu-

---

97) l. c.

98) l. c. pag. 173.

99) l. c. pag. 33.

maticae arthriticae et scorbuticae, praecipue si saepius redeunt.

Tres causae proxime antecedentes num sequente inflammatione per se staphyloma scleroticae tum quoque, si interior non adsit causa, efficere possint, secundum praesentem indagationum statum certo nec affirmari nec negari potest.

De pathogenia.

Si pathogenia staphylomatum corneae minime illustrata habenda est, hoc multo magis de staphylomatis scleroticae dici potest. Originem hujus mali necessarie ex inflammatione pendere, ab omnibus recentioribus scriptoribus probatum, sed ratio ac via, quomodo inflammatione efficiatur, non satis demonstrata est.

St. Yves 100) et *Günz* 101) satis habebant concedere, tumorem effici dum humor aqueus per violatam scleroticam prorumpens conjunctivam extendat.

Mauchart 102) malum videtur habuisse prolapsum corporis vitrei per vulneratam scleroticam.

Beerio 103) origo staphylomatum scleroticae prorsus eadem esse videtur quae corneae. Ne-

---

100) l. c. pag. 113.
101) l. c.
102) l. c.
103) Ansicht ꝛc. pag. 42—53.

cessarie ea pendere putat a cohaesione scleroticae vel deminuta vel prorsus sublata atque a concretione ejus cum orbiculo ciliari. Degeneratio staphylomatosa pendere ei videtur ex humore aqueo nimis accumulato.

Beck [104]) pressum, tumorum in interiorem partem vix exercentem structuram retinae turbare et qualitativam secretorum humorum commutationem efficere putat. — Recentioribus temporibus omnes fere originem staphylomatum scleroticae a varicoso vasorum choroideae extensione repetunt.

Mea quidem sententia haec est: Commutationis structurae scleroticae ratio eadem est quae corneae in staphylomate corneae. Scleroticae inflammata eo loco, quo livida tubera sunt, magis magisque diminuitur et saepe ita tenuis fit, ut postremo dirumpatur et tum tumor quidam uvae instar procidat, quae quidem choroidea est partim prorumpens.

Jactura facultatis cernendi plerumque eodem modo a mechanico pressu, quem extensa choroideae vasa in retinam exercent, ducebatur. Quum vero facultatis cernendi gradus e majori vel minori vasorum extensione pendeat — quum ea et in minimis et in maximis scleroticae staphylomatis prorsus semper desit aut postea per-

---

104) Handbuch der Augenheilkunde S. 210.

datur, hanc sententiam vere affirmari non posse, facile apparet.

Prognosis.

Omnium huc usque scriptorum sententiae in eo concinunt prognosin satis esse infaustam. Secundum Rau progressis noxiis mechanicis felicior est prognosis, quam praesentibus dyscrasiis. In inferioribus mali gradibus non ita infaustam esse prognosin equidem existimo; si enim videndi facultate haud multum imminuta aegrotus a se impetrat, ut diaetam severam subeat et si praedispositiones causaeque morbum sustinentes removeri adhuc possunt, morbus quo minus altius progrediatur, impediri potest. Sin autem cirsophthalmia plane evoluta adest, medicamentis non mature adhibitis eo celerius malum ad gradus majores procedit, quo quis magis ad eum morbum dispositus est ob dyscrasiam singularem e. g. scorbuticam. Quod ad videndi facultatem attinet, prognosis infausta plerumque est, mox enim depravatur visus. Proprium huic morbo esse videtur ut mox alter quoque oculus ab eo corripiatur.

Therapia.

Etsi plures ophthalmiatrici quamque curationem non sufficientem, inutilem adeoque noxiam nonnullis in casibus ducunt, eam quoque rem non ita negligendam ratus paucis attingere tentabo. Nam etiamsi staphyloma perfectum et omnibus numeris absolutum omne artis auxilium detrectat, tamen desperandum non erit, si remediis mature et rite adhibitis, ne in summos gradus transeat morbus nondum multum progressus, caveri potuerit.

A. Indicatio prophylactica.

1. *Quod attinet ad causas totum organismum praedisponentes* mox attendatur ad aegrotum congestiones haemorrhoidales vel menstruales, infarctus, arthritidem etc. proclivitatum. Ubi enim vestigia decolorationis in sclerotica obscurioris aut jam varicositatis vertigo, visus hebetatio etc. adparent, praescribatur diaeta simplex; vitentur causae omnes occasionales; sublevetur natura derivationibus et ad cutim et ad alvum.

2. Respiciantur, tanquam momentum localiter magis praedisponens, *Ophthalmiae cum sequelis;* in stadio primo prospiciatur, ut cura maxime antiphlogistica adhibeatur; in secundo autem, charactere inflammatorio imminuto, ut porrectis remediis, mediocriter adstringentibus, partes debilitatae et relaxatae tonum priorem recipiant.

B. Indicatio causalis.

1. *Remotio causarum proximarum.* Itaque

a. *emollitio et relaxatio scleroticae* removeatur per collyria adstringentia e vitriolo zinci, vitrioli cupri, saccharo saturni, alumine, lapide divino etc. parata, per fomentationes frigidas, Beer [105]) hoc unguentum commendat:

R. Butyr. recent. insuls. ℥β.
Mercur. praec. rubr. ℈j.
Vitriol. alb. gr. x.
Vitr. cand. trit. gr. vj.
M. exactissime. ut. f. Ung.
DS. Augensalbe.

b. *ad varicum imminutionem* inserviunt missiones sanguinis, cucurbitae, hirudines etc. Rau [106]) observatione fortuita adjutus, hirudinem in ipsum staphylomatis tumorem applicare suadet. Prosunt etiam derivationes incitantes in alvum et cutim, empl. antimoniale, et setaceum ad nucham.

c. *accumulatorum humorum* emissio fiat per punctionem seu paracentesi oculi.

2. *Remotio causarum remotarum.*

a. *removeantur praedisponentes:* rheumatismus, arthritis, scorbutus, stagnationes venosae, restituantur haemorrhagiae habituales suppressae secundum therapiae specialis regulas.

---

105) Lehre der Augenkrankheiten Bd. I. S. 383.
106) l. c. pag. 231.

b. *occasionales:* respiciantur, uti jam supra commemoratum Ophthalmiae, praecaveantur earum recidivos et evitentur momenta inflammationes provocantia.

Si mechanica adfuit causa, statim removeantur corpora aliena. Si oculus directe chemicis materiis afflictus est, peniculo illineantur in oculum remedia oleosa, mucosa.

C. Indicatio morbi.

Huic satis fit, si morbus variis in gradibus rite tractatur, si progressus minoris gradus ad majorem prohibetur, et si bulbi forma naturalis asservatur.

Praeterea ad nostram memoriam haec remedia plus minusve faustiore eventu sunt adhibita:

a. *chemica* ad tumorem minuendum: acid. sulphur., acid. nitr. fum., lap. divin., lap. caustic., lap. infernal.; Janin et Beer porrexerunt non sine eventu Butyr. antim.; omnia vero remedia acria vel caustica ad prominentiam destruendam plus nocent, quam prosunt.

b. *mechanica:* 1. partem morbosam abscindi jubent de Walther, Demours, Friedrich. [107])

2. *punctionem tumorum* Martland, de Ammon, Lechla; ea enim medendi ratio et facillima et minime periculosa, ac semper prius conanda est, quam abscisio prioris bulbi partis.

---

107) Dissert. de staphyl. Berol. 1821.

Sententia autem Himly V. Cl. haec est: Plerumque optimum est, nihil tentare, aut si quid tentare juvat, punctio est commendanda: sed optimum est, naturae staphyloma aperiendum relinquere: quicquid enim feceris, caecitas manet.

Explicatio tabulae.

Fig. I et II. Icon. staphylomatis scleroticae totali. Historia autem haec est:

E. M. pater natus W. M., qui in pago D. Hassiae Electoralis praefectus fuerat saltuum, aestate anni 1833, octodecim annos natus, quum arti seriniariae operaretur, oculis laborare coepit. Nam in externa parte oculi laevi forma ulceris exstitit, sed ita, ut vis oculorum integra maneret. Contra hoc diversa unguenta et collyria et calida cataplasmata abhibebantur. Post octo tamen dies oculi vis mirum in modum minuebatur et versus finem mensis Octobris eo perventum est, ut omni labori impar domum se conferre oporteret, ubi in tenui victu saepius purgantias accepit: sed eae eventum non habuerunt. Tum forsitan et *mercurialia* accepit: initio hirudines adhibebantur, postea etiam venae sectionem et balnea applicabantur.

Quum die II Febr. Gottingam deferetur juvenis, in universum satis bona valetudine utebatur, sed laborabat interdum obstructionibus alvi; pedes, qui antea semper humidi fuerant, aridi erant: interdum capite laborabat eo potissimum in loco, qui est supra oculos. Caussam illius mali haemorrhagiam intermissam narium verisimile fuit, unde illud ulcus supra alterum oculum, exstiterat. Sed quis nexus fuerit, inter ulcus illud et oculorum morbum hoc quidem non licebat investigare.

Dum Gottingae in nosocomio esset, quotidie balnea cum cinere etc. gnaviter usurpabantur: bis autem octodecim hirudines in temporibus applicabantur, nonnullae in naso, vesicatoria post aures et purgantiae primum quidem Sale amaro, post autem Gratiola. Ita sudores pedum redierunt, capitis dolores cedebant, et vis laevi oculi intendebatur quodammodo. Neque tamen ita valebat, ut res ipsas conspicere posset, sed omnia rutilo colore tincta viderentur. Sed organica oculi structura eadem mansit. Postea fonticuli in temporibus ponebantur et unguentum quoddam mercuriale circa oculos illinebatur: hinc pupillae aliquantum contrahebantur et vis cernendi nonnihil augebatur. Jam ante satis longum tempus demissus est, sed non ita restitutus, ut morbus satis curatus dici possit.


Fig. III et IV. e Scarpae opere desumtae, ostendunt exempla staphylomatis postici, cujus mentionem feci pag. 18.

Corrigenda:

Seite 7. Zeile 7 von oben lies attollitur statt attulitur
— 9. Anmerkung 13 l. incident st. incidient
— 12. — 29 l. des yeux st. yeux
— 27. Zeile 8 v. o. l. ita ab de st. ita de

1





3.



Fig. 4

